

terra appellentur, sed sal terrae, et apostolus primum hominem vocet de terrae limo, secundum vero de coelo, merito et nos, qui esse debemus patri Deo similes, (qui solem suum oriri facit super bonos, et malos et pluit super justos et injustos), sic Christo monente oramus et petimus, ut precem pro omnium salute faciamus, ut quomodo in coelo, id est in nobis per fidem nostram voluntas Dei facta est, ut essemus e coelo, ita et in terra, hoc est, in illis non credentibus, fiat voluntas Dei, ut qui adhuc sunt prima nativitate terreni, incipiant esse coelestes, ex aqua et spiritu nati. Procedente oratione postulamus et dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quod potest et spiritualiter, et simpliciter intelligi, quia et uterque intellectus utilitate divina proficit ad salutem. Nam panis vitae Christus est; et panis hic omnium non est, sed noster est. Et quomodo dicimus pater noster, quia intelligentium et credentium pater est, sic et panem nostrum vocamus, quia Christus eorum, qui corpus ejus contingunt panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore dilecto, dum abstenti et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso praedicante et monente: Ego sum panis vitae, qui de coelo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in aeternum. Panis vero, quem ego dederò, caro mea est pro saeculi vita. Quando ergo dicit in aeternum vivere, si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, et eucharistiam jure communicationis accipiunt, ita contra timendum est et orandum, quis abstentus separatur a Christi corpore procul remaneat a salute, comminante ipso et dicente: Nisi ederitis carnem filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.